



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

94. De Orpiensi Coenobio per Pipinum fundato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De Orpiensi cœnobio per Pipinum
fundato.

Pipinus quo infame Sacrilegum homicidium expiaret, furorem diuinum placaret, simul publicum datum scandalum auferretur, monasterium Virginum construxit in loco dicto Orpen, Nunc Orpium, vernacule (*Allegrand*) in ea Austrasiæ parte que

modo est Gallobrabantia Vestalibus ex Niuëllensi cœnobio eò adductis. Ioannes quidem Placentius in Catal. Episcoporum Leodiensium, Diuæus in historia Brabantie aiunt id cœnobium fundatum ab Alpaide à Pipino iam semotâ & pœnitente. Verùm non puto nobiscum pugnare: potest vterque esse fundator: Pipinus fundum conferendo, autoritate, consensu suo instituyendo, prima fundamenta iaciendo: Alpais augendo, dotem comportando, primam foundationem promouendo. In ea Parthenone vixit Sanctissimè præfuitque Abbatissa S. Adelia, cuius ipsa in Odæio Ecclesiæ Orpiensis etiamnum religiose asseruantur. Eius vitam ex M.S. eiusdem Ecclesiæ Gallicè edidit Ioannes Monceaux ex Societate I E S V. Sed quæ mihi semper apparuit & apparet non sincera, commixta ex actis S. Odiliæ siue Othiliæ Bavaricæ, quod multis SS. vitis accidisse deplorat Molanus. Per Barbarorum enim irruptiones gesta SS. amissadum pij Zelatores ex varijs & scriptis & locis restaurare sunt conati, vbi nominum similitudinem inuenerunt, vna eademque repurantes, omnia in vnum congerendo permiscuerunt; pluribus adscribenda, vni ascripserunt, triste

triste funus Alitheæ afferentes. id ipsum reor ex parte con-
 rigisse actis S. Swiberti coepiscopi S. Willibrordi quæ in
 hoc opere discutimus, infatis nonnullis de alio Swi-
 berto Anglo Abbate 1. Episcopo Verdeni sub Carolo
 Magno, de quo Krantzius in Metropol. Saxoniz. Idem in
 actis S. Adelig. quæ à multis Odilia & Othilia, quod decipe-
 re natum est, scribitur, quamquam minus rectè, cum
 antiquissimæ litteræ apud nos & speciatim diploma B.
 Alberti Martyris datum Remis paulo ante Martyrium sæ-
 per Adeliæ citet, numquam Odiliam, Othiliam: Gallice
 etiam nunquam aliter audit quam *S. Adelle*. Desijt
 diu sacra Pipini Plantatio. Quo tempore, non liquet. Mi-
 hi probabilissimum sæculo 9. per Nortmannorum debac-
 chationes; post quos locum occuparunt Clerici in com-
 muni viuentes. His iam proprietarijs & præbendarijs fa-
 ctis, successerunt Abbas & Monachi Florinenses Ordinis S.
 Benedicti, qui totum Orpium in temporalibus & spiritu-
 alibus possederunt Ecclesiamque magnis priuilegijs do-
 tatam gubernarunt vsque in annum 1298. quo Wilhelmus
 Abbas Florinensis Ioanni Lotharingæ Du ci omnium suo-
 rum bonorum in Orpio medietatem vendidit ac 1301. re-
 liqua cum iure patronatus eique annexa Ioanni Abba-
 ti Bonæ Spei Ordinis Præmonstratensis in Hannonia: à
 quo dein anno 1339. Ecclesia cum adjunctis ad cœno-
 bium Tungerloense est deuoluta, quam ab eo tempore
 vsque huc Religiosi eiusdem cœnobij gubernarunt & gu-
 bernant.

Orpium verò situm medio ferme itinere inter Thenis
 & Namurcum fuit olim pagus celebris & potens, nunc ad
 longe tenuiorem fortunam redactus. Solæ Reliquiæ S. A-
 deliæ, ad quas ex vicinijs & longinquo magnus est con-
 fluxus, hodie famosum faciunt.

DISSERT.